Estratto dall' Effemeridi di Roma del Mese di Luglio 1823.

Epistola Silvestri Bargagnatii.

Questo degnissimo Prelato, noto già per la felice traduzione delle Lettere di Pisto Aletino all'Autore anonimo dell'opuscolo *Quid est Papa?* corredata di note, e di aggiunte; e per l'opera intitolata *Il Filosofo del Secolo*, dette in poco tempo pe' torchi del de Romanis parecchi saggi di buona latinità, e tra gli altri *gratulationes et vota* per la Porpora del Cardinale Antonio Pallotta. Ora ci è giunta alle mani l'epistola, colla quale accompagnò i suoi voti e rallegramenti all'Eminentissimo, e questa noi crediamo di concedere al pubblico.

Antonio Pallottae Presbytero Cardinali Amplissimo
Silvester Bargagnatius XII Vir Urbi curandae
nestoreos annos, cuncta felicia.

Ex quo steterunt in me, Vir Eminentissime, egregia a Gulielmo Cardinale patruo tuo Praefecto Sacri Consilii Tridentinis Decretis interpretandis, acerba nimis morte praerepto, qui cum maxima tibi intercedit similitudo animorum, collata beneficia, atque per te haereditario veluti jure continuato agmine aucta in dies, ea statim obversari mihi visa est insignis gratiarum moles, quas nec pro facultate mea pares, nec pro rerum magnitudine, multitudineque dignas redderem; neque sane erat quidquam, quod aut libentius facere, aut citius vellem. angebar interim animo vehementissime, id forte ex diuturna mea taciturnitate in suspicionem adduci posse nonnullorum, vel quae recte in me fecisti amplitudinem non persensisse hactenus, vel saltem ab ingrati animi vitio non multum abesse. quare tempus expectandum mihi proposueram, cujus ope illud fieri posse intelligebam, ut etiam parva gratia nec viribus meis impar, etsi infra acceptorum granditatem consisteret, aliquo saltem sive rei, sive hominis momento commendata, Te non indigna prorsus videretur.

Quojus perficiendae rei exquisitissima mihi data occasio est auspicatissimo dierum sexto Idus Martias, felicitatis publicae nuncio, faustissimo Regioni Picentium, Genti Bargagnatiae fortunatissimo, quo die, amplissimorum Magistratuum stadio tam sancte, quam celeriter per te percurso ita, ut vorasse non confecisse videare, Romanam Purpuram in annum prolatam tertium tulisti; quodque non omnibus contigit, tulisti optantibus cunctis. de qua singulorum Ordinum laetitia Romani Cives, exterique, omnium ut ita dicam populorum nomine, gravissimum tibi testimonium reddiderunt momento illo vesperati diei beatissimo, quo Aloisius Gymnasius Decurialis a Cubiculo Pii VII, itemque Curator a supellectile Pontificali Ablegatus ejus reddidit Tibi Purpureogalerum, Insigne praecipuum eminentissimi honoris tui, de quo interpretationem retulisti subitario sermone, pleno majestatis, atque puritatis grati animi ergo in Auctorem munificentissimum sacratissimae in te collocatae Dignitatis (1). *extabat cujusque vultibus hilaritatis publicae decus, et in serenis frontibus animorum judicia praelegebantur, quorum et ipse fidem comproba-*

(1) Sicuri di far cosa grata ai leggitori Noi publichiamo questa Risposta, quale trovasi inserta nei Publici Fogli = La Santità di N. S. non mi ha trovato degno del Cardinalato: me ne ha reso meritevole la di Lui Clemenza; mentre ad imitazione, e somiglianza del Sommo Iddio, il quale chiama le cose, che non sono, come quelle, che sono, ha voluto collocare la bassezza mia in sublime. Accettissime quindi mi sono le Insegne presentate, quali dovendo un giorno essermi ai Piedi, abbraccio fino da ora come il soggetto del mio meditare. Ed essendo ben lieve il render grazie in parole; e coi fatti vietandolo la grandezza della Maestà Pontificia, chiamo in Testimonj li Beati tutti del Cielo come conscii del mio animo, e del mio intimo volere, che non impiegarò mai i miei sensi, e le facoltà dell'animo mio, che per l'autorità della Santità Sua, porgendo assidui voti all' Onnipotente onde la ricolmi di ogni felicità, e prolunghi li necessarj suoi giorni. Ella poi (Monsignore), cui sono in particolare modo tenuto, mi ponga ai Piedi di Sua Beatitudine =.

sti humescentium oculorum tuorum veritate . ferebantur per genas tuas lacrymae frequenter adstantibus circum jocundae , tibi gloriosae , invicemque cuncti prope flentes prae gaudio videbantur . et quamvis nefas esset te flente laetari , vicit tamen pudorem gratulatio ; cum lacrymae illae tuae , quarum ego testis, laudator , et praeco , pietatis essent indices , non doloris . nunc ad propositum . quam et gratulationis publicae interpretem , atque votorum publicorum , sponte fluentem a calamo paraveram exhibiturus tibi V. E. condicta die Francisci Bourliaei typis (quod tamen pessimo ejusdem consilio mihi haud datum est) Inscriptiunculam , Vitae tuae , rerumque per te optime , atque feliciter gestarum quasi Commentarioli speciem adumbrantem , gratae mentis , et amicitiae testem perennem (quam spero , atque tu spondes , promissaque solvis , in dies robustiorem) , ad hunc Diem inclitum reddo cupidissime typis nitidissimis Philippi de Romanis , quem Oratorem purum , elegantem , atque gravem omnes demirantur ; quem Necrologum probabilem habent Lyncei ; dulciaque cui doctae dictarunt carmina Musae ; quo die , qui signat feriam tertiam Pentecostes , inter secunda omina Quiritium , et certantia vota populorum , sollemnibus caerimoniis sollemnem possessionem auspicaturus , Basilicae succedis Titulo Silvestriano in Campo Martio , quae prima Sedes est Honoris tui , et cui anno MDCXXIX sanctissime praefuit Joannes Baptista Cardinalis ex Pallottia Gente secundus . quo sane celeberrimo die caluit in me ultra vires animus ad laetitiam ; et quodam praesagio futurae felicitatis elatus tanta illum exultatione suscepi , quasi jam caritatem tuam expertus plenissime fuissem . eoque fidentius , atque verius hoc praenunciatum persensi mihi , quo plenius inter praeclarissima tuae Dignitatis initia publicis testimoniis comprobasti , me ad peculiarem tui indulgentiam et pertinuisse semper , et pertinere veracissime , constantissime .

Hanc ergo per eruditum Virum Aloisium Repettium Bartholomaei Pacca Cardinalis Magistrum admissionum, quem tu eximia humanitate dignas, ardentissima complector ego benevolentia, reddo tibi Inscriptiunculam, si forte dicendi, atque scribendi genere improbandam, officii certe nomine improbandam nunquam; quam si facilitate exceperis, qua me, et omnia mea excipere consuesti semper, laus potius speranda mihi, quam venia obsecranda est: mihi autem venia sufficit. quo sane consilio et illud in mente habui, ut in posteros quoque eximia tui laus, officiique mei memoria prorogetur; atque adeo, ut si qua erit venturis saeculis Bargagnatiorum duratura progenies, legem etiam ex testamento dabo seris, tardisque Nepotibus, uti Pallottiam Gentem grata semper, et honorabili recordatione prosequantur.

Quod illustre pietatis meae genus in Gulielmum Cardinalem patruum tuum praecipua memoria signandum reor, qui ex probatissimo ejus judicio, ex multa, atque suavissima, non solum privata, sed et publica ejus consuetudine, qua mihi licet admodum Juveni eo felicissimi temporis Romae annis decem ad condictas dies hebdomaticas exemplo fortasse unico frui datum est, dulcissimos, honestissimos fructus habui honoris, et sapientiae; ex quibus fundamenta jeci firmissima, solidissima dignitatis meae. atque utinam viveret, qui per aetatem potuisset equidem, et adesset hoc celebratissimo dierum Gulielmus Cardinalis tuus, melius ego noster! quanta perfunderetur laetitia senex optimus! quibus te amplexibus teneret! quas in te pietatis, et caritatis lacrymas effunderet, quem ex documentis suis sanctissimis, ex institutione, consuetudine, exemplis, quemque ex egregia tui voluntate, diligentia invicta, laboribus, sollicitudinibus, periculis uberrimos retulisse fructus, honestissimamque consequutum mercedem animadverteret! de quo amplissimo Principe illud praedicabo nunquam satis,

quod verissimum, notissimumque est, quodque ad singularem ejus commendationem facit maxime, bona ipsum pro malis repensavisse semper; quae quidem excelsae cujusdam, ac prope divinae virtutis laus est. jure ergo, meritoque quantum admirabar, colebam illum, tantum et illum excessisse dolui, atque doleo assiduissime. quamquam dum te cerno V. E. illum excessisse non credo: tanta equidem ex illo in te formae similitudo transivit, ut signante natura vultibus tuis impressa videatur. quod si aliquantulum ab eo corporis proceritate distas, nec dissimilis tamen omnino est, quem geris aspectus: imo eadem in fronte gravitas, eadem in ore tranquillitas, fulgor idem eloquentissimus oculorum: sic est index modestiae rubor, sic testis sermo justitiae. fuit illi ex natura, ex voluntate insitum amare, qui amari ab omnibus meruit; quod est in rebus humanis jocundissimum; et quorum utroque ita frueris, ut cum ipse ardentissime diligas, adhuc tamen ardentius diligaris. sed quid ego excessisse Gulielmum Cardinalem dicam, quojus immortalia facta vivunt, et in ore omnium, oculisque versantur?

Qui vero auctor, atque princeps ad restituendam Majestatis publicae integritatem, servandamque Senatus Augusti dignitatem sollertissimo consilio, sapientibus probatissimo caerimonias, ritusque per omnia niteris Saeculi revocare vetusti, haud ingratum Tibi fore opinor V. E. hoc quantulumcumque est, candidissimum profecto de meis Scriniis munusculum, scriptionis genus referens aevitatis beatae, in praesens ultimum fortasse hujusmodi; quo si non elegantiam, gravitatem, atque puritatem temporum beatissimorum imitari umquam, admirari saltem mihi in votis fuit: si quidem ex rerum vicissitudine, quam non hic memorandi locus, huic litterarum generi, quodque dolentissime ajo, sacris Disciplinis, quibus avidissime enutritus sum adhuc, nuncium cogor dicere parumper. uti enim me sero quamvis tyrocinio ad pere-

grina studia conferam, adsignata mihi Justitiae Sedes ad agendum, et dicendum eaeteroquin amplissima, quamque tueri debeo Conlegii dignitas admonent; et quae magnifica est, procuratio urget rerum publicarum. Revera contendit nemo quantum a veteri meo instituto posterum hoc Officii genus absit, unde in eodem explendo magis indulgentiam impetrare queam; quam laudem consequi: et nihilominus, favente Numine, industriam, diligentiamque meam a nemine desiderari patiar, quibus omnium sententia, gravissimoque Pii Septimi Pontificis Maximi judicio peperci nunquam, dum essem Scriniarius ab Actis Sacri Consilii Disciplinae Regularium servandae, tutandaeque Ecclesiae Immunitati. quod sane ad honestatem sentio, ad rectam conscientiam pertinere; reposcitque sibi, quae me tenet in Auctorem delati recens mihi muneris demissa voluntas.

Quod si dignas rectefactis tuis grates non retuli; in caussa es Tu V. E. qui meritus de me fuisti ita, uti quae recte fecisti summa, parem gratiarum mearum actionem non invenerint. quibus certe maximus cumulus accedet, si quo excelso, atque invicto polles animo, altum de me urgeas opus, quodque bonis avibus, laetisque auspiciis in me instituisti, laetioribus, fortunatioribus absolvas; nec perpetuo propitius esse desinas mihi, domui, familiaeque meae; quod et vehementer postulo, et spero fidentissime. neque enim majorem ullam crediderim esse Principum felicitatem, quam vicisse contraria, atque homines fecisse felices.

Sunt autem, quibus alienum omne displicet, positumque in more est personam detrahere, locutulej garrulique, qui a verborum lenocinio, a levitate, ab inani gloria, quodque injurium, et contumeliosum est maxime, ab fervidae mentis aestu (impudentia autem tanta, quanta in omni memoria nunquam), ausi sunt reprehendere hoc meum gratae vocis officium, quo nihil honestius per omnem aetatem, pul-

trius nihil (natura ipsa, belluis, barbarisque gentibus praeeuntibus) quodque nec spes, nec terror, nec humani quidquam valuit continere. et hos excepi auribus peregrinantibus, superabunde contentus, me in hoc tenuissimo quantumvis labore, quod et in omni agendi, scribendi, atque loquendi specie mihi ex natura ingeneratum est, nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam retulisse, nec scripsisse quidquam, de quo non possim causam reddere, uberrimam optimi animi capturum mercedem non ex malevolentissimorum judicio, sed ex factis, ex conscientiae testimonio. tametsi enim laudare optimos Principes, et ex hoc posteris quasi lumen, quod sequantur ostendere, utilitatis habuerit semper plurimum, adulationis nihil, fuit e contra tamen et iniquissimum omnino illud, at non infrequenti apud nos receptum usu, pessimos homines honesta consilia nefaria interpretatione deturpare, hominumque voluntates non ex aequitate, sed ex libidine metiri. si qui vero dicant, me latine scripsisse minus, et venuste; quin imo humiliter adjciant, atque ineleganter, dabo libentissime, ut judicio utatur quisque suo, qui placere me potuisse omnibus arbitratus sum nunquam, quando vix placui, aut ne vix quidem ipse mihi, cui et illud insuper prae oculis, in mente illud assiduissime, pro captu Lectoris habere sua fata libellos. *quod autem, si forte incertum, me confirmat plurimum, pudoremque ut ita dicam omnem expugnat meum, quodque insuper ad non mediocrem mei gloriam pertinere nec insolescens dico, illud est, quidquid in hoc scriptionis genere, Doctoribus, meique cupidissimis Mamacchio, Gallettio, Morcellio, Lanzio, Marinio Cajetano delibavi hactenus, et delibabo equidem aevo feliciori, ad eos paratum emendare, vel tollere me detulisse semper, atque delaturum constantissime, qui Romae sunt diebus nostris in omni dicendi, et scribendi arte versatissimi, in condendis autem Inscriptionibus non solum idonei judices, sed et auctores optimi, imo nec*

facile principes, quibus probatum nihil, si non fuerit excogitatum sapienter, et ornate dictum: quod sane providentissimum consilii genus alienum a jactantia, ab ignavia alienum ad summam intelligentiam pertinuisse semper conveniunt omnes: neque enim vincimur, sed instruimur, quum meliora nobis offeruntur.

Franciscum Cancellierium dico primum, Praesidem Typographiae Christiano Nomini propagando, Pro-signatorem V. E. Summi Magistri criminibus expiandis, virum ad omne officii genus institutum, summa meritum, et majora merentem in dies (quo ego, et Aloisius frater germanus meus, auctore Leonardo Antonellio felicis recordationis Principe Sacri Senatus, Patrono indulgentissimo, ab ineunte adolescentia utimur familiarissime, conjunctissime), multiplici eruditione, quae praesertim est de re antiquaria, civili, et sacra, memoria etiam prope ad miraculum praestantissimum, suavissimum eloquio, atque auctorem probatissimum operum plurimorum, quojus domus officina est sapientium, quem spectatissimi litteratorum Coetus Socium habent meritissimum, quemque molesta nimis heu! atque senescenti valetudine aegrum dolent cuncti; et ex quojus periculo tantum adire discrimen Litterae videntur, quantum ex salute gloriae consequuntur. hic eruditissimis commentariis Gentis tuae decora innuentibus gratulatoriam Inscriptionem inlustravit, quam, adscito te inter Patres Augustos ex Pallottia Gente quarto, publici juris fecit, mutuato nomine, qua summa utitur modestia, a Cajetano Profilio optimae spei adolescente, quem, Cancellierio eodem deprecante, Auctore Te, Curia Innocentiana habet inter Adparitores suos. proxime est Franciscus Petraleus, homo aetate, et consilio gravis, medicis, et latinis Litteris pollentissimus, Socius Academiae, quae de Religione est in Lyceo Leoniano, qui praeter alia multa non sine laude vulgata, scripsit iterum sapientissime, elegantis-

sime de affectionibus Cordis. *succedit tertio Paulus Polidorius Canonicus Diaconus Basilicae Liberianae, ab intimo Cubiculo Pontificis Maximi, Iudex Clericis probandis, notandisque Libris, adlectus inter Censores Sacri Consilii, quojus est perduelles Ecclesiae vindicare, qui sacrorum scientissimus studio rimatur cuncta sagaci, et cui tanta sanctitas, indulgentia, gravitas, atque apud summos viros gratia tanta est, ut consumatissimos virtute homines consumatus aetate nondum sapientia provocare videatur. agmen claudit Joachimus Tosius Pontifex Anagninorum, et Acuti Dominus, quem aetas nostra editis Libris apprime notum, graeca, et latina eruditione, Patrum doctrinis, divinarum eloquio Scripturarum, amaenioribus, severioribus disciplinis exercitatissimum, ad haec varietate promptissimum, et fluentissimum sermone habet, atque suspicit. quae autem V. E. illitteratissima hac Epistola scriptitavi de Te fortasse multa, melius autem dixero dictavi velocissime, indulgentiam omnem exposcunt tuam, pro qua rogo te etiam, atque etiam, et omni contentione rogo. neque idcirco vereor quod in scribendo modum excesserim; fuit enim nunquam nimium, quod esse maximum debet.*

Ad extremum Deum Optimum Maximum (ejus Genetrice Virgine, quam tu avis, majoribusque tuis praeeuntibus notissima pietate colis, Caelitibusque propitiis), votis, et supplicationibus fatigatus enixe precor, et precabor indesinenter, qui tibi bona ope aucto det quam mereris aetatem, servetque animos, quos dedit, ut complere possis dies tuos in bono, et annos tuos in gloria; donatumque mihi sit privatim, et publice itero gratulari tibi, gaudere itero mihi, utinam citissime, utinam frequentissime! hoc si ad voluntatem fluxerit, sublimi feriisse dicam sidera vertice. valetudinem tuam cura diligenter, meque te perdite amantem redama, qui dum anima spirabo mea, etiamsi forte per calumniam, vel per invidiam, quo non difficilius nihil in tanta temporum, atque

hominum improbitate, a sinu tuo avulsus (quod malum avertat omen sancta divinitas) ita me probaturum tibi confido certe, ut nullius in te candidior existat fides, nullius studiosior observantia, ardentior caritas nullius, quibus omnibus et in te semper concedam nemini, qui et nemini concedis egregiis, quibus me paratissimus, lubentissimus, munificentissimus; quodque in Summis Viris praeclarissimum est, at rarissimi exempli, nec rogatus *ornasti assidue*, nec *ornare desinis, immortalibusque beneficiis. tantum inter Te, et illos Principes interest, qui rectefactis suis commendationem ex difficultate captant, gratioresque accipientibus honores arbitrantur, si prius illos taedium, desperatio prius, et similis repulsae mora in notam quamdam, pudoremque vertant!*

Vivas diutissime, qui es desiderium populorum Princeps optime: quod dum dico, et aperto pectore rursum dico, haud tibi blandior, neque mihi: diutissime enim vivit, qui vivit optantibus cunctis.

Scribebam Romae ex Caenobio Sodalium Minimorum ad Andreae Apostoli Vico Nemorensi Feria III Pentecostes An. MDCCCXXIII.